

Inv. 534 20

II d
162



200 1 1

11. 670.



QK. 534. 90.

B. M. II, 670

PRO
COMOEDIA COMMOVENTE

COMMENTATIO
ORATIONI ADITIALI

D. XIV. IUL. CIOIDCCLI
H. IX. IN AVDIT. PHILOS.

HABENDAE

PRAEMISSA

A

CHRISTIANO FÜRCHTEGOTT GELLERTO

P. P. EXTRAQ.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



Gott. Fischer



PRO
COMEDIA COMMOMVENTE

COMMENTATIO

ORATIONI ADITIA

D. XII. MDCCLXXXII

M. IX. IN A. V. D. P. H. I. S. S.

HALLAE

FRANKIS

CHRISTIANO FRUCHTIGOTT GILLIG

P. P. P. P. P.

L I B R A E

EX OFFICINA LINGUENSIANA





Tentata est aetatis nostrae scriptoribus, Franco-
gallis praesertim, eiusmodi comoedia, cu-
ius argumentum non ad relaxandos solum,
sed et ad concitandos, hominum animos
valeret, ita, vt non nunquam lacrumae con-
sequerentur. Quae quidem comoedia per ludum iocumque,
Francogallico sermone, *comedie larmoyante*, *) lacrima-
bunda appellari, et tanquam inepta tragoediae aemula a mul-
tis reprehendi solet. Mihi quidem animus non est, omnium
et singularum fabularum, quae quidem in hunc censum ve-
nire possunt, patrocinium suscipere; sed institui ipsum ge-
nus defendere, et, si fieri possit, efficere, vt appareat, co-
moediam posse cum laude commouere vehementius. DACIE-
RIVS **) aliique, qui inchoatam ab Aristotele definitionem

A 2 vberius

*) Vid. VOLTARIUS, Oper. Tom. IX. ab init. praef. *Nam*. prae-
miss. edit. Dresd.

**) In annotationibus ad Aristote-
lis Poetic. cap. V. p. 58. ed. Par.

1692. Aristote en faisant la defini-
tion de la Comedie decide - quel-
les choses peuvent faire le sujet de
son imitation. Il n'y a que celles,
qui

IV

yberius explicare voluerunt, omnem comoediae vim a ridiculo repetunt. Atqui concedendum quidem est, tametsi auctore VOSSIO *) et hoc dubium esse possit, maximam comoediae partem in ridiculo positam esse; tamen tenendum, non omnem in vno ridiculo eius virtutem esse quaerendam. Aut enim elegantissimae Terentii fabulae non sint comoediae dicendae necesse est; aut comoedia serua quaedam intervalla habet, seu potius habere debet, ne τὸ γελοῖον ipsa perpetuitate debilitetur. Quod enim sine intermissione festivum est, id aut minus, quam sat est, ferit, aut denique fatigat animos nostros. Neque vero quicquam aliud ex definitione Aristotelis intelligi posse arbitròr, nisi qualia et quae potissimum vitia perstringere debeat comoedia. Apparet enim inde, tractanda esse ea vitia, in quibus quis, non sine insigni suo dedecore, etsi sine maximo suo, imò et aliorum, malo esse possit, vno verbo, quae risu et satyra, non autem indignatione et poena publica digna sint; quod tamen ipsum et Plautus et ii, quos ille e Graecis secutus est, non admodum curasse videntur. Imò confitendum est, esse vitiorum genus, quod maxime coniunctum sit cum damno alterius, tanquam prodigalitem, et tamen adhiberi possit ad comoediam, dummodo callide hoc agatur et perite; neque ego video, quid peccet comoediarum scriptor, qui utilitatis ratione monitus, aliquando deserat artis praecepta, praesertim si

Habet honorum exemplum: quo exemplo sibi
Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.

Sit

qui sont purement ridicules, car tous les autres genres de méchanceté, ou de vice, ne sçauroient y trouver place, parce qu'ils ne peu-

vent attirer que l'indignation, ou la pitié, passions, qui ne doivent nullement regner dans la Comedie.

*) Poet. L. I. c. V. p. 123.

Sit autem lepida vitiorum atque ineptiarum exagitatio praecipuum comoediae munus, ut hilaritas, coniuncta utilitate, in animos audientium influat; sed teneatur simul hoc, duplex esse ridiculi genus, vnum robustum quasi et maxime palpabile, quod in cachinnos se effundat, alterum deliciaus et modestius, quod idem moueat voluptatem et approbationem, non tamen illam, quae erumpat, sed quae velut circa praecordia clausa teneatur. Quod si effusa ac vehemens illa hilaritas, quae ex priori genere exoritur, non facile fert grauiorem quandam animi affectionem: eam, credo, altera sedatior feret. Deinde si ea delectatio, quae hilaritatis est, non est sola, quae percipi possit ex imitatione vitae priuatae: quid delinquit comoedia, quae eiusmodi sibi argumentum legit, unde, praeter hilaritatem, quidam animi motus consequatur, tristitiae ille quidem speciem prae se ferens, sed per se dulcissimus tamen? *) Quod cum commode effici possit, si non solum vitiorum, sed et virtutis imaginem effingat comoedia: non video, cur illa malis personis bonas quoque et amabiles consociare, seque eo ipso gratiorem et vtiliorem reddere non debeat, ut quasi reprimatur vetus illa gregis apud PLAVTVM querela:

Huiusmodi paucas Poëtae reperiunt comoedias,
Vbi boni meliores fiant.

A 3

Fue-

*) Permagna enim (ait praestantiss. Anglus, IOSEPHVS TRAPPVS) est discrepantia inter istam tristitiam, quae in tragoedia dominatur, et istam, quae in comoediam admittitur. Illa, tanquam hiemalis tempestas, diem pene integrum nubibus et tenebris obuoluit; inter-

speris tantum raris et breuibus lucis interuallis: haec actionem dramaticam, tanquam coelum tempore aestiuo plerumque sudum, nubibus non nunquam, sed rarius, intercipit. *Praelection. Poët. p. 323.* edit. alt. Londini 1722.

VI

Fuerunt certe, vti Scaliger monet, veteres quidam, et Graeci, et Romani, qui duplex comoediae genus admiserunt, eamque diuiserunt in moratam et ridiculam, moratam dicentes, in qua mores, ridiculam, in qua ioci et sales dominarentur. Quando autem non eius solum ratio est habenda, quod fieri solet in comoedia, sed eius etiam, quod fieri debet: cur eam, auctore TRAPPIO, *) non ita definiamus, vt dicamus, comoediam esse poëma dramaticum, vitae communis et priuatae imaginem exhibens, virtutem commendans, et vitia quaedam atque ineptias hominum perstringens, iocosa praecipue siue lepida oratione. Hanc finitionem, confitemur, non in omnia et singula exempla posse transferri: sed si eam quaeris, quae, quicquid comoediae nomine comprehendi soleat, exprimat, aut nullam omnino aut certe definitionis monstrum habebis. Suffecerit nobis, hanc, quam nostram fecimus, a fine, quem obtinere debet et facile potest comoedia, esse ductam, atque adeo inde et excusationem et praesidium habere oportere.

Sed vt causam comoediae commouentis, nisi sat feliciter, diligenter tamen agamus, duplici accusationi occurrendum est; quarum quidem altera eo redit, *tolli hoc modo discrimen, quod intercedere debeat inter tragoediam comoediamque*; altera autem in eo sita est, *sibi ipsi aduersari comoediam, quae affectus inflammare velit cum cura*.

Quod ad priorem attinet rationem, mihi quidem non videtur esse timendum, ne fines vtriusque generis confundantur. Potest ad commouendum vim habere comoedia, et tamen longissime abesse ab indole tragoediae, si neque eosdem

*) l. c. p. 314. f.

dem prorsus motus excitat, neque eodem plane consilio, neque iis rebus, quibus utitur tragoedia. Infaniret omnino comoedia, si grandem et horrendum tragoediae apparatus, caedes, desperationes, et id genus alia, affectaret: sed nihil horum vnquam molitur. Contenta enim facta aliquo populari, etsi rariori, nescit actionis nobilitatem et magnitudinem; nescit summorum hominum opiniones et mores, aut summa vel virtute, vel turpitudine excellentium; nescit rei exitum tristissimum; nescit tragicum illud elatum atque magnificentum dicendi genus. Haec omnia adeo in promptu sunt, vt, si pluribus dicere velim, ea obscurare velle videar. Neque vero est, quod quis dicat, comoediam, quae mouet, cum non nunquam misericordiam excitet, vi quasi iniusta partes inuadere tragoediae. Quae enim comoedia vni item vel alteri personae accidere finit parua mala, ea quo modo vehementissimum illum, qui est tragoediae, sensum misericordiae excitare poterunt? Sunt potius non nisi eius sensus initia, quae comoedia admittit, et ad breue tempus retinet, atque eo quidem fine, vt leuem hunc motum re aliqua optabili reprimere possit; quod longe secus fit in tragoedia. Sed veniendum est ad locupletissimum, ex quo comoedia solet mouere, locum, videndumque, an forsitan ab hac parte in bona tragoediae possessionemque impetum faciat. Ea comoedia, de qua quaeritur, quando mouet, nonne id plerumque efficit fingendo amore, eoque honesto, graui, insigni? Quid adeo interest inter eum amorem, quem tragoedia admittit, et hunc, quem comoedia? Immo vero permultum. Nam amor in comoedia non est heroicus ille amor, vinculis magnarum rerum, officii, fortitudinis, summae ambi-



VIII

ambitionis, aut anxie constrictus, aut infeliciter laxatus; non amor ille tumultuans, periculorum aut horrendorum criminum comitatu stipatus; non desperans ille, sed suauiter inquietus, implicitus quidem variis, quibus augeatur, aut reprimatur, impedimentis et molestiis, iis tamen, quae feliciter denique atque sine multo labore superentur, ut eueniat exitus, nisi singulis fabulae personis, tamen voto audientium laetissimus. Quapropter nulla artis confusio timenda videtur, cum comoedia non eundem, quem tragoedia, tractet amorem, sed, quemadmodum vi et magnitudine, ita effectis et adiunctis a tragico longe remotum. Atque sicuti amor, duplici imagine elucens, diuerso tamen modo expressus, non facile habebitur pro vno, neque adeo eandem in animos hominum vim exeret, cum v. c. vnus sunt sparsi capilli, turbata frons, oculi desperantes; alterius comtus capillus, subtriste ridens frons, et oculi suauiter solliciti: ita nec, qui in vtramque fabulam ingreditur amor, eiusdem est generis, nec eodem, vel pari modo, dici poterit mouere. Immo tantum abest, ut ab hac parte tragoediae iura violare velle videatur comoedia, ut potius nihil nisi sua tueatur. Quamquam enim iis non assentior, qui, auctoritate veterum quarundam tragoediarum moti, amorem prorsus e tragica fabula proscribunt; tamen neque omnem amorem, delicia-tiorem praesertim, ipsi conuenire, neque eum, qui conueniat, ibi regnare debere, inde certissimum est, quod tragoediae argumentum a solo amore peti non potest. Ille quidem grauiorum animi affectionum, a quibus actio tragoediae magnitudinem, splendorem, admirabilitatem accipit, tanquam accessio fieri potest, ita ut eas mox impellat magis,
mox

mox refrenet, non autem vt ipsius actionis caput sit. Haec lex, tragoediae scripta, et a natura heroici facti repetita, satis declarat, vt amor actionis principium sit, solius esse comoediae. Quicquid igitur amor, reiecta eius parte horrenda et funesta, ad commouendum valet, illud omne iure suo comoedia vindicat. Praeclare monet praestantissimus CORNELLIVS, in qua fabula solus amor, quamuis in principibus viris, dominetur, eam non esse tragoediam, sed vi sua comoediam. *) Multo minus itaque fabula, in qua regnet priuatorum hominum amor vehemens, naturam tragoediae affectare videatur. Quod autem de amore, comoediae vindicando, disseruimus, de reliquis quoque existimo locis affirmari posse, qui ad concitandos animos aliquam vim habent, de amicitia, constantia, liberalitate, grato animo, ceteris. Quia enim hae virtutes, in quo sunt, virum illum quidem bonum, non autem, nisi aliae accesserint, magnum et tragoedia dignum efficiunt, magisque adeo vitae priuatae, cuius imago esse comoedia debet, sunt ornamenta: comoedia in iis virtutibus illustrandis iure suo versabitur, et, quicquid ad animos suauiter afficiendos inde peti poterit, eius suo loco et tempore vtendi potestatem habebit. At enim tali modo sterilis nimis atque ieiuna videbitur comoedia, neque *iuuenum prodibit publica cura*, neque iis satisfaciet, qui ridendo latera sua concuti volunt? Quid tum? At delectabit, (vt ait Clariss. WERENFELSIUS, **) sapientes, at doctos,

*) Le Theatre de P. CORNEILLE, V. Partie. à Amsterd. Premier Discours du Poëme Dramatique. p. 469.

**) In Oratione de *Comoediis*, p. 365. Dissertat. var. argum. Parte altera, Amstelaed. 1617.

X

ctos, probos, artisque peritos, qui non ridiculum quaerunt, sed aptum, non distortum, sed concinnum: et si non scurrae, ii certe, vt PLAVTINO verbo vtar, *qui pudicitiae praemium esse volunt, plausum dabunt.*

Venio ad alterum dubitationis caput, comoedias, quas dicimus mouentes, sibi ipsas aduerfari, ita, vt, si commouere velint, aut non possint simul ridere hominum ineptias et vitia, aut, si faciant vtrumque, neque sint comoediae omnino, neque tragoediae, sed his interpositum atque medium quiddam, vt ad eas transferri possit hoc, quod OVIDIVS de Minotauro dicit, eum esse

Semibouemque virum, semiuirumque bouem.

Hoc quicquid reprehensionis est, facile confici posse puto exemplis iis, quae frequentia habemus apud Francicos scriptores dramaticos. Si enim Destouchesius, Chaussaeus, Marivaux, Voltarius, Faganus, alique, quorum sunt nomina et scripta regiones nostras diu peruagata, vna saltem alteraque comoedia feliciter praestant id, quod quaerimus, vt, conseruata hilaritate atque vi comica, sint etiam suo loco animi motus, ab argumento sponte profecti, in quibus sibi placeant audientes; quid amplius ad rem probandam afferri debet? Atque, etiam si nulla nobis faueant exempla, tamen, rem commode posse fieri, pateat ex ipsa diuersa natura personarum, quas in scenam comicus producit. Cum enim, vti supra ostendimus, malis moribus bonos possit recte opponere, et illorum deformitatem horum venustate reddere

reddere insigniorem; cumque haec ipsa morum atque animi honestas, si satis declarari debeat, poscat res arduas, et ad tempus minus prosperas, quibus vim suam exerat: his materiae fabulae innexis et scienter tractatis, ea comoedia, quae in deridendis vitiis maxime versatur, nihilo minus audientium animos grauiori aliquo motu poterit demulcere. Magna omnino cautio adhibenda est, vt hoc suo loco et tempore, et, quantum satis est, fiat; imo sibi magis, quam oratori, comicus, pectora nostra inflammaturus, dictum putet, *nihil citius inarescere quam lacrimas*. Inprimis curandum est, ne, scena vna aliqua hilarissima vix dum peracta, mox ad scenam grauiorem ruamus; quo facto, animus a risu, quo quiete relaxatur, statim ad pleniorum humanitatis sensum traductus et abreptus, non minus sentiret molestiae, quam oculus, ex opaco loco in multum solem subito conuersus. Multo minus honestiori personae ea occasione, qua spectatorum animos ferit, tanquam comes, adiungenda est valde ridicula; neque quicquam, nisi animis satis ad id praeparatis, in hoc genere tentandum est, neque diutius immorandum iisdem affectibus. Reseruatis igitur scenis commouentibus commodo loco, qui ἐν τῇ ἐπιτάσει fabulae, saepissime ἐν τῇ καταστροφῇ, inueniri solet, comoedia munere suo satyrico rite fungi, nihiloque minus perturbare poterit animum. Multum omnino huc pertinet ipsius fabulae, quam doceas, constitutio et quasi structura. Si enim ea, quae praeter spem accidere finis feliciter, aut infeliciter, et quae occasionem praebent commotionibus, ita sunt repetita a moribus personarum, vt ferme aliter non potuissent eue-

XII

nire: tunc spectator, admiratione captus et verosimilitudine, personae amicus aut inimicus, motui libenter se permittet, et cum voluptate mox irascetur, mox dolebit, mox vicibus eius personae, cui maxime faueat, prae gaudio illacrimabitur. Eo modo, quod pace b. l. afferam, affici solent spectatores eius comoediae, cui a fortitionis tessera nomen est, ultimo actu. Vxor Damonis, atque Carolina, puella, ob mores suos spectatoribus sunt charae. Illa iam desperauerat de recuperanda tessera, qua sibi decem milia thalerorum venerant, dolueratque vicem suam honestissime. Ecce venit Carolina, et praeter spem, quod perdidisse putauerat, affert affini suae, idque amantissimo animo. Exoritur nunc inter vtramque nobile benevolentiae, et deinde, inter Carolinam et amatorem ipsius, amoris certamen; quod cum natura sua, tanquam gratissimum spectaculum, ad commouendum valeat, neque sit e longinquo petitum, sed in rei natura prorsus positum, et ab ipsis characteribus sponte profectum, non modo ille exitus non repugnat comoediae, sed potius, ceteris omnibus satis tractatis, prodest. Mihi certe comoedia, quae, cum ingenium audientium detinuit, ita finit, ut et animus suaviter commoueatur, non magis peccare videtur, ac coena, quae ministrato, quantum satis erat, vino leuiori, poculo demum aliquo fortiori incalescentes conuiuas dimittit.

At enim aliud genus est, quod magis in vitio esse videtur, propterea, quod ioci et sales minus ibi dominantur, quam affectus; deinde, quod primariae eius personae aut
non

non sunt plebeiae et vitiosae, sed nobilioris conditionis, moribus elegantibus et sermone cultiori vtentes, aut si vel maxime habent vitia, tamen non ea, quae facile in plebem cadant. Cuius ferme generis comoediae sunt Philosophi amantes apud Destouchesum, Melanide apud Chaussaeum, Pupilla apud Faganum, Sidney apud Gressetum. Quoniam vero ea persona, a qua potissimum fabula pendet, aut bonae notae est, aut tamen non in eo vitii genere posita, quod magnopere risum moueat, inde omnino quaeri potest, quam in re conueniat eiusmodi ludus cum indole comoediae. Quamuis enim plerumque interiecti sint hilariores characteres et quodam modo ridiculi; tamen, reliquis praetulentibus, satis apparet, hos appositos tantum eo consilio esse, vt illi variarentur, non autem necessario, vti eos, a quibus ipsa fabula repetenda esset. Iam facile largior, eiusmodi fabulas non capi angustis illis limitibus, quibus comoedia circumscribi solet, sed illud quaero, debeantne illi limites ita promoueri ac proferri, vt huic dramatis generi locus sit?*)

B 3

Quod

*) Si finis comoediae generatim animi libera est oblectatio, eaque efficitur apta imitatione vitae priuatae: facilis erit via ad inueniendas aequae ac constituendas diuersas comoediae formas. Cum enim duplex sit genus actionum humanarum, vnum quod risum, alterum quod grauior animi motus excitet: duplex comoediae, tanquam vitae imitatrix, erit forma; vna illa, quae risui,

altera quae grauioribus mentis motibus ciendis sit accommodata; cum tandem actiones sint, quae, ex diuersis, quibus constant, partibus, ac diuersis, a quibus suscipiuntur, personis, consideratae, vtrumque efficere possint: erit et mixtum comoediae genus, ex quo est e. c. Cyclops apud Euripidem, Gloriosus apud Destouchesum. Quod praeclare vidit nuper defunctus, mihi quae desiderata

XIV

Quod si comoediae finis permittit, quid impedit, quo minus fiat? Auctoritas maiorum? Quasi vero scelus esset, tentare aliquid, quod illi intentatum reliquerunt, aut abire a maioribus eadem de causa, qua in ceteris eos sequimur? Nonne HORATIVS adeo dicit?

Nec minimum meruere decus, vestigia Graeca
Ausi deferere.

Si non licet docere fabulas, nisi eas, quae exacte respondeant ARISTOPHANEIS, PLAVTINIS, imo et TERTIANIS; valde timeo, ne parum consulatur et bonis moribus, et aetatis nostrae genio. Num eam fabulam, quae a vita communi euocata est, et ita tractatur cum virtute, ut et delectet et doceat, qui est finis omnis dramatis, quia comoediae definitio, a veteribus tradita, non satis in eam conuenit, eam igitur e theatro proscribendam putabimus? An ea de causa inepta et monstri similis erit? Iis in rebus, quae sentiri et sensu iudicari possunt, vox naturae, opinor, haud paullo maior veriorque est, quam praeceptorum. Quae olim in scena usu comprobata fuerant dramata, ab iis deinde regulae desumptae sunt. Itaque liceat nobis eodem beneficio frui, et, si qua est, praeter veterem, comoediae forma,

desideratissimus amicus, SCHLEGELIUS, Professor apud Danos, artis dramaticae decus perpetuum. Vide sis, quae ex aliqua eius, caeteroquin inedita, super hoc genere commentatione relata sunt in ani-

maduersionibus ad BATTAEI libellum, *Les beaux Arts reduits à un même principe*, nuper conuersum e gallica in linguam vernaculam, p. 316. edit. Lips.

ma, quae placeat, quae plausum ferat, vno verbo, quae delectet et profit, ceterum communes et immutabiles dramatis leges non violet, sed in fabula describenda et distribuenda, atque in hominum moribus et naturis pingendis, diligenter seruet; cur de ea potius querendum, quam gratulandum nobis esse existimemus? Putasne, si inepta ista esset, de qua loquimur, comoedia, rem, tam ineptam, simul et prudentum et populi approbationem mouere posse? Scimus autem eiusmodi ludos multo cum plausu Parisiis, aliisque locis, iteratis vicibus, esse acceptos, facilemque ad animos aditum inuenisse. Quod si plurimi tali dramate cum voluptate afficiuntur, paucos, qui nihil eiusmodi sentire posse perhibent, *) quid multum morabimur? Sunt, quibus et hilarior comoedia nullo modo faciat satis, neque tamen ea de causa bona esse desinit. Ast deprehenduntur in comoediis, quae mouentes esse volunt, ieiunae, frigidiusculae, atque insulsaе multae? Quid tum? Mihi non est sermo de quauis misera fabella. Quin et ab altera parte multas easque

*) Accommodari posse videtur comoediae nostrae id quod CICERO de oratione aliqua, probanda an improbanda, contra BRVTVM disputat. Tu artifex, *inquit*, quid quaeris amplius? Delectatur audiens multitudo et ducitur oratione et quasi voluptate quadam perfunditur. Quid habes, quod disputes? Gaudet, dolet, ridet, plorat, fauet, audit, contemnit, inuidet, ad miserationem inducitur, ad pudendum, ad

pigendum, irascitur, miratur, sperat, timet: haec proinde accidunt, vt eorum, qui adsunt, mentes verbis et sententiis et actione tractantur. Quid est quod expectetur docti alicuius sententia? Quod enim probat multitudo, hoc idem doctis probandum est. Denique hoc specimen est popularis iudicii, in quo nunquam fuit populo cum doctis intelligentibusque dissensio. CIC. in BRVTO. p. 569. f. edit. Elzeu.

XVI

que ineptissimas inuenire possis, quarum auctores non accu-
fari possunt, communes neglexisse regulas; immo vero prin-
cipem regulam, vt cum BOILAVIO *) loquar, non te-
nuerunt. Nempe caruerunt ingenio venusto. Iam quando
idem accidit scriptoribus comoediae huius recentioris, culpa
non in rem ipsam conferenda est. Vere autem si volumus
iudicare, quale illi pretium sit statuendum, eam ad commu-
nem dramatis finem, vti monui, referamus necesse est. Si-
ne dubio comoedia ad delectandum inuenta est, sed quo-
niam nulla est delectatio, a regulis artis profecta et honesta,
cui non aliqua vtilitas adhaerescat, comoedia quoque ad
vtilitatem spectare dici potest et debet. Prius illud obtine-
tur tum ipso fabulae argumento, tum personarum aptis, no-
uis, et variatis characteribus. Delectatio ex argumento fa-
bulae gignitur primum, cum expectatio et mouetur et susti-
netur; deinde cum eidem satisfit aliter, ac ab initio visum
erat, vbique legibus verosimilitudinis diligenter seruatis.
Quod quidem adeo verum est, vt res, siue vere gesta, siue
ficta, quamuis natura sua maxime admirabilis, in scenam
producta, tamen, si non sit verosimilis, nullo modo de-
lectet.

Respicere exemplar vitae morumque iubebo
Doctum imitatore.

Scilicet in omni fictione non tam ipsa fabula, quam inge-
nium et artificium eius tractandae, parit voluptatem au-
dientibus. "Is enim omne punctum fert, ait WEREN-

„FELSIVS,

*) In not. ad vers. I. Artis Poët.

„FELSIUS, *) is delectat, qui personam, mores, affectus, „quoscunque demum in scena repraesentare vult, optime, et „viuis, quantum fieri potest, coloribus depingit, spectato- „res suos in rem praesentem deducit, et quoscunque cupit, „in eorum pectoribus animi motus imprimit.„ Neque ve- ro solum ideo placere dicatur comoedia, quod aliorum actiones absurdas, et risui mouendo aptas, oculis animisque defigit, (id enim et bona satyra praestat) sed quod in argumento vno, et in se suauis, exponendo ita versatur, vt spectatoris animum vbique expectatione suspensum habeat, eum commode detineat et exerceat, atque ita exercendo et persuadendo voluptatem et approbationem moueat. Quo modo enim delectare potuissent ferme omnes, quas habemus, Fabulae Terentii, imo non nullae Plauti, tanquam Captiuei, in quibus, ob interuenientes Simones, Chremetes, Phaedrias, Hegiones, non solum magna pars fabulae non est ludicra, sed potius seria. Sin autem ad hanc quaestionem delectationis non pertinet necessario actio ridicula; si omnis fabula, veritatis aemula, atque rebus, auditu visuque dignis, distincta, demulcet animos; cur non argumentum etiam grauius, dulce tamen natura sua, ad comoediam non nunquam adhiberi queat? “Tunc quo- „que mirificam sentimus voluptatem, **) cum arctam qua- „si amicitiam cum certa in comoedia persona inimus, pro „hac laboramus, pro hac solliciti sumus, cum hac ami- „cos inimicos communes habemus, pro hac tacita vota fa- „cimus,

*) Orat. cit. p. 367.

**) WERENFELS. eod. l.

XVIII

„cimus, huius periculis metuimus, huius malis dolemus, „huius innocentia et virtute detecta gaudemus. „ Multa non sunt iocosa, neque tamen ideo tristia. Delectabit fabula, quae nobis virum, summo loco atque genere ortum, cum puella infimae conditionis matrimonium in- euntem, ita ante oculos ponit, vt, quae inepte et absurde in hoc amoris genere fieri possint, declaret. Sed mute- mus statum fabulae. Non sit ineptum illud viri consilium, sed iustis de causis aut laudabile, aut probabile saltem; minusne hic delectabit raritas et honestas rei, quam ibi turpitudine? Extat huius argumenti comoedia apud Volta- rium, *Nanine* inscripta, quam plausum in theatro tulisse accepimus; neque negari debet, posse excogitari, et ad vitam priuatam accommodari eiusmodi facta, quae mo- ueant admirationem, neque sapiant fabulas romanenses, vsu id ipsum comprobante.

Accedendum iam nobis est ad ipsos characteres bo- nos, qui obtinere solent in ea, de qua quaeritur, co- moedia, atque videndum, quo modo inde voluptas de- lectatioque oriri possit. Cuius rei ratio sine dubio in na- tura hominum et vi admirabili virtutis quaeratur. Etenim in nostra potestate non est, approbare velimus, nec ne, quod recte, honeste ac laudabiliter fiat. Naturali harum rerum pulchritudine et specie ducimur: atque etiam pessimus quisque, inuitus quasi, sibi placet in praestantia animi spe- ctanda, qua neque praeditus fuit vnquam, neque, vt es- set, elaborauit. Si igitur, in quibus aliqua magna eaque, popu-



popularis, virtus elucet, quemadmodum in usu atque consuetudine vitae, ita et in theatro cari gratique nobis esse solent. Parum tamen hoc foret, nisi alia accederent. Ipsa virtus, in scenam producta, magis placet, quam in vita hominum. Etenim cum invidia, in conspiciendo et fruendo viro bono, saepe vna cum admiratione nascatur, tamen ea in simulacro virtutis videndo abest; inuidiae autem loco, excitatur in animo dulcis superbiae sensus et amoris sui ipsius. Intelligentes enim, ad quem praestantiae gradum humana natura euehi possit, nos nobis ipsis aliquid magni esse videmur. Nos itaque ipsi nobis placemus in illis fictis personis, eoque magis virtus in scena nos detinet, quod et faciles mores imponuntur bonis personis, et illa ipsa bonitas, vbique aequabilis et sibi similis, a natura magis donata videtur, quam labore et studio parata. Verbo, sicuti in ridiculis scenae personis, nobis ipsis plaudimus, quod non videmur eorum similes: ita contra, bonos spectando characteres, de naturae nostrae bonitate nobis gratulamur, id quod in virtutibus heroicis, in quibus tragedia versatur, minus euenire solet, cum nimium a communi conditione sint remotae. Intellego quid contra dici possit. Etenim dicat aliquis, quoniam quotidianarum rerum fictio nullum sui desiderium aut admirationem faciat, adeoque necesse sit, vt virtus in scena maior et splendidior proponatur, quam vitae consuetudo vsusque ferat, consequi inde videri, vt eiusmodi morum notationes, tanquam veritatem excedentes, minus, quam sat est, placeant. Quod omnino timendum esset, nisi ars accederet, quae, quod in chara-



XX

Et ere formando exprimendoque videatur modum ac naturam superare, apte iuaret; quo fit, vt, quod vsu non frequentatur, probabile tamen videatur. Abhorreret fabula ab approbatione spectatorum, quae puellae infimi loci personam elegantiore, ingenio moribusque conspicuam, imponeret. Nam

Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollent equites peditesque cachinnum.

Sed si fingamus, eam puellam a primis inde annis in illustrem aliquam familiam deductam, occasionem morum et ingenii excolendi inuenisse: tum, quae antea erat improbabilis persona, fiet probabilis. Multo minus eximii mores et sensus animi generosi nos offendent in illis, quos honesta domo ortos et cum cura educatos sciamus. Neque huius loci verosimilitudo tam veritate rei, quam hominum opinione, metienda est, ita, vt huc non pertineat, sintne re ipsa, et quam multi sint eiusmodi laudabiles homines; sed vt satis sit, multos eiusmodi quid videri esse. Quod etiam in vitiorum characteribus locum inuenit, qui non desinunt nobis probari, quamuis excedant exemplar vitae communis. *) Sic Auarus in comoedia, quamuis auarior fingatur exemplis quotidianis, tamen non displicebit. Tanta est Thrafonis apud Terentium dementia, vt Gnathoni seruulisque, tanquam militibus, ad arma conuocatis, cum imperio praesit, vbi standum, quid cuique faciendum sit, praecipiat,

*) Eleganter super hac re dissertit auctor libelli, qui inscribitur, *Beyträge zur Historie und Aufnahme des Theaters*, p. 266. ff.

cipiat: cuius militis gloriosi licet nullum vnquam fortasse extiterit exemplum, tamen Thraſonis perſona, quia reliqua cum glorioſis communia habet, ad veritatis ſpeciem ſe commendat. Idem accidit ab altera parte, vt perſonae alicuius bonitas, quae exſuperat, reliquis rebus, a verofimilitudine non abhorrentibus, ratione aliqua adiuuetur, vel temperetur. Sunt praeterea in nobis ipſis varii ſenſus, qui faciant, vt eiſmodi characteribus fides haberi poſſit, neque appareat id, quod in iis abundet. Optamus tacite, niſi virtutis, tamen vtilitatis ſpecie capti, vt boni ſint quam plurimi; et quicquid, in imagine aliqua, cum laude tribuitur humanae naturae, nobis ipſis tribui putamus. Inde fieri ſolet, vt boni characteres, quamuis praefantiffimi et omne exemplum ſuperantes, praefidium in excellenti de nobis ipſis opinione et virtutum vtilitate inueniant. Qui characteres, ſi ob eam, quam afferunt delectationem, merito fabulis adhibentur, multo magis, vtilitatis ratione habita, admitendi ſunt. Improborum imagines ſolum declarant, quid inepte, quid peruerſe, quid turpiter fiat; bonorum autem, quid recte, quid pulchre, quid cum laude. Illae a vitiis reuocant vel deterrent, hae ad virtutem ſequendam ſpectantes cohortantur et adducunt. Et ficuti parum eſt, ſcire, quid dedeceat, et ſibi cauere diſcere ab eo, quod in omnium reprehentionem facile incurrat: ita maius et fructuoſius ſane eſt, intelligere, quid vere pulchrum ſit, atque velut in imagine videre, qui et quales eſſe debeamus. Neque ſolum ſermones, bonis perſonis accommodati et attributi, eam vim habent; ſed ea ipſa,



quae in fabula laudabiliter ab iis acta finguntur, quae sunt oculis subiecta fidelibus, nobis in rebus humanis exemplum pulchri atque honesti sponte adferunt. Ut itaque eiusmodi fabulae ex recepto vulgarique artis usu nomen comoediae non possint iure vindicare; tamen beneficiis atque priuilegiis comoediae dignae erunt, tum quia delectare, tum quia valde prodesse, atque ita iis accedere possunt dramatibus, quae laudatissimus WERENFELSIVS c. l. his verbis desiderat: „Tales denique sint comoediae nostrae, quas PLATO in republica sua toleraret, quas Cato cum voluptate aspiceret, quas Vestales sine pudicitiae laesione spectare possent, et, quod caput est, quas Christianos homines et agere et spectare decet. „Certe qui ad scribendas comoedias animum appulerunt, ii non male fecisse putandi sunt, si inter alia etiam id operam dederunt, vt fabulae vis ac ratio vehementiorem aliquem humanitatis sensum excitaret, quem vel lacrumae, testes commotionis, consequerentur. Quotus enim quisque est, qui non nunquam eo modo perturbari nolit, qui non interdum eam voluptatem, qua animus totus quasi perfundatur et inundetur, anteponat huic, quae non nisi summas animi extremitates, vt ita loquar, aduat. Lacrumae, a comoedia expressae, similes sunt pluuiae mitiori, quae segetes non solum laetas, sed et frugiferas reddit. Haec omnia non eo dicta sint, vt comoedia vetus illa hilarior de iusta sua possessione depellatur, (imo vero maneat illi aeterna auctoritas atque dignitas!) sed vt in consortium societatemque veniat haec recentior,

quae

quae, vulgaribus ferme exhaustis characteribus, nouos, copiosioresque adeo fabulae materiam, praebet, ac sermonum genus variat. Si qui sunt, qui ea solum de causa comoediae interesse velint, ut in effusiores soluantur cachinnos, hos Terentii atque Destouchesii alique huius generis Comici non admodum curabunt: iis vero displicuisse, quos nihil, nisi effrenata et barbara iocandi petulantia, delectet, non adeo magnum dedecus videbitur. Iudicabunt et post nos iudices, his quoque seruiendum. Fuit Flaccus, qui, auctoritate critica usus, pronunciauit:

At proavi nostri Plautinos et numeros et
 Laudauere fales; nimium patienter vtrumque
 (Ne dicam stulte) mirati.

Erunt fortasse aliquando, qui reprehendant, nos in ferenda comoedia mouente nimium impatientes, ne dicam asperos, fuisse.

Haec pro comoedia mouente, ut existimatorem potius, quam magistrum, edisseruisse sufficiat. Properandum enim mihi est ad illud officium, cuius causa haec scriptio a me suscepta est. Cum enim admirabili **REGIS NOSTRI POTENTISSIMI, FRIDERICI AVGVSTI, PATRIS PATRIAE OPTIMI**, indulgentia mihi munus, optimas artes in hac florentissima litteraria Vniuersitate publice extra ordinem docendi, contingerit,

QX II d / 62

XXIV

gerit: id beneficium Regium grata piaque oratione prosequendum est, cui recitandae dies XIV. Iul. est constitutus. Igitur RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, COMITES ILLVSTRISSIMOS, VTRIVSQUE REIPVBLICAE PROCERES, nec non GENEROSISSIMOS ATQVE NOBILISSIMOS CIVES ET COMMILITONES, verecunde atque humanissime oro rogoque, vt me, illo die, de *vi atque vtilitate optimarum artium ad morum elegantiam vitaeque communis suauitatem*, dicturum, praesentia sua dignari ac ornare velint.



Pon Tid 162, Qk

ULB Halle

3

004 573 897



D.





QK. 534. 90.

B. m. II 670

PRO
 COMOEDIA COMM
 COMMENTATI
 ORATIONI ADIT
 D. XIV. IVL. CIO IOC
 H. IX. IN AVDIT. P
 HABENDAE
 PRAEMISSA
 A
 CHRISTIANO FÜRCHTEGOTT
 P. P. EXTRAQ.

L I P S I A E
 EX OFFICINA LANGENH

